

« sitoris sermonis querit. » In Aggæo Propheta, 1. 6, contra ejusemodi dicitur: *Seminastis multum et intulistis parum; qui mercedem congregavit, misit eus in sacculum peritum, vel ut alia littera legit: In dolium perforatum.*

VERSUS 3.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.

1. — Jansenius quorundam refert opinionem, qui per manum sinistram, familiarissimum quemdam inimicum intelligi posse existimant; ut sit sensus: « Adeo secreto eleemosynam facio, ut ne « familiare quidem tibi conscii sint ejus, quod « agis. » Verumtamen sententia Chrysostomi, *Hom. xix in Matth.*, et aliorum adheret, qui putat id, per hyperbolem dictam esse: « Hic quoque non « manus voluit intelligi, sed exaggeratum posuit « hunc sensum: Si, inquit, possibile est teipsum « quoque ignorare quod facis, sit tibi hoc prorsus « in studio et si fieri queat, nec manus, quibus id « peragitur, conscie sint. » In qua etiam sententia Theophylactus fuit, dum ait: « Hyperbolem hoc « dicit, quasi diceret: si possibile, etiam te ipsum « ignores. » Dionysius Carthusianus, de intentione intelligit, quando in executione adimpleri non potest: « Tam occulte hoc facias, quantum ad « animi intentionem, ut nec ab illo videatur, qui « tibi tam vicinus est, ut una manus alteri. » Sponsa in sacris Cantibus, II, 6, dicit: *Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me.* Paulus de Palatio circa hæc verba considerat quod manus sinistra sub capite ab oculo videri non possit, bene autem dextera, que nos stringit et amplexatur; mysterium igitur in hisce verbis contentum hoc est: « Levam Sponsa non videt, videt vero dexteram; « at in læva, sunt divitiæ et gloria, scilicet tempo- « ralia. In dextera, est longitudo dierum, id est, « æternitas. Dicit ergo fidelis Sponsa, se oculos « habere totos in eternitatem defixos; divitiis vero « et honores, ut levam manum non aspicere. » S. Paulus Apostolus eo quod oculos suos in cæli ærarium defixos semel habuerat, quoniam raptus fuit usque ad tertium cælum, omne aurum totius terræ nihil pendebat, *omnia arbitror ut stercora;* quisquis oculum suum ad dexteram, id est, ad bona æterna et ad promissam eleemosynæ retributionem diligit, is semper opere ipso ostendit se nescire, nec attendere, quantum det, etiamsi eleemosyna ad millionem auri usque ascenderet: *Ignoravit sinistra ejus, quid faciat dextera ejus.* Porro Apostolus amplissimis quidem bonorum operum thesauris onustus erat, quia plus omnibus aliis laboraverat, verumtamen quia oculum suum ad dexteram, id est, ad beatam eternitatem defixum tenebat, ideo se nihil fecisse arbitrabatur, omniumque heroico-

rum operum suorum obliviscens, se pridem viam Dei incipere existimabat, *Phil.*, II, 13, 15: *Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum.* Quicumque ergo perfectus sumus, hoc sentiamus.

2. — S. Anselmus, *ibid.*, Christum per hanc sententiam illos redarguere velle existimat, qui sibi persuasum habent, quod eleemosynam dare possit, cum intentione placendi hominibus et tamen etiam apud Deum mereri queant, adeo ut per unam eandemque eleemosynam, uno eodemque tempore, et Deo, et hominibus placere velle possint: « Dextera « est amor celestium honorum, sinistra vero est « amor temporalium honorum, laudis scilicet et « cæterorum; non ergo consocietur isti amoris et « nesciat sinistra, id est, petitio humane laudis, « quid faciat dextera, id est, amor et celestium « respectus. » Paulus de Palatio, nos illas res scire dicit, quas approbamus, illas vero nos nescire putat, quas reprobamus. « Vult igitur Dominus opus nos- « trum fieri propter Deum, ut in eo nihil gustus « inveniat caro, ut cum gustet de opere, nescire « dicatur. »

3. — Theophylactus ait: « Sinistra est inanis « gloria, dextera vero eleemosyna, nesciat igitur « eleemosynam inanis gloria. » Idque perfecte consonat cum eo, quod S. Augustinus hisce verbis scribit: « Sinistra videtur significare delectationem « laudis, dextera autem significat intentionem im- « plendi præcepta divina; cum ergo conscientia « faciendi eleemosynam, miscet se appetitio laudis « humane, fit sinistra conscientia dextera, nesciat « ergo sinistra, id est, non se miscet conscientia « tue laudis humane appetitio. »

4. — Glossa per sinistram vitia intelligit: « Sinistra vitia, dextera virtutes. » Vult igitur sapientissimus Magister noster dicere, quod vanam gloriam virtutes ignorare et procul ab eis abesse decebat: « Quod ergo agit virtus, nesciat elatio. »

5. — S. Thomas, in *Matth.*, ait: « Per sinistram « intentio perversa designatur humane laudis; per « dexteram intentio sancta implendi præcepta Dei, « ut dicit Augustinus. Unde nesciat sinistra tua, id « est, non se immisceat perversa intentio laudis, vel « inepte letitiæ, vel elationis, quod faciat dextera « tua, id est, cum præcepta Dei implere contendit. »

6. — Dionysius Carthusianus per hanc sinistram, intelligit tentationem, vel cogitationem vanitatis et complacentiæ, quæ in nos sæpe subingreditur, quando manum nostram ad charitatis opera exercenda extendere volumus: « Nesciat sinistra tua « quid faciat dextera tua, hoc est, cogitatio vana « omnino abiciatur, nec bonæ cogitationi, de qua « eleemosyna nascitur, admisceatur. » Similiter ut Beda, *ibid.*, observat, eleemosynæ meritum nunquam nobis apud Deum comparare possumus,

hæc illam manu non erogemus: « Quæ efficitur in « voluntate bona, quamvis non sit quod tribuatur « in pecunia, non in his solet sinistra operari, quæ « eam non intus sed foris faciunt. »

VERSUS 4.

Ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Ut sit eleemosyna tua in abscondito.

1. — Hæc doctrina, inquit Jansenius, intelligi potest vel tanquam præceptum, vel tanquam cautela: « Si accipiatur ut præceptum, ad intentionem « referri debet, non enim præcipitur, ut omnino « secreta sit eleemosyna, sed ut intentio facientis « aliena sit ab eo, ut quærat videri ab hominibus « et quantum ad se spectat, in abscondito fiat; si « autem accipiatur ut cautela, instrumur ut nostre « infirmitati consulentes, ne obrepat in eleemosyna « vana gloria. » Estque hæc expositio conformis Glossæ a S. Thoma citatæ: « In abscondito, id « est in secreto conscientia, secundum Glossam. « In conscientia dicitur fieri eleemosyna, quando « propter Deum datur, non quia abscondatur ali- « quando ab hominibus. »

Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

2. — Idem S. Thomas ait: « Videt in abscondito, « id est, qui est discretor cogitationum. »

3. — Quamnam remunerationem necdum sperare, sed et imaginari possumus majorem, quam quod Patrem æternum, operum nostrorum charitatis habeamus spectatorem pariter et remuneratorem? Lucas Brugensis ait: « Quid enim desideret « ab egenis et mendicis præstari, ad cujus spe- « candas virtutes, Rex ipse properet qui solus « coronandi tenet potestatem? et qui sua ostentare

« opera cupiat, Patri imprimis ostendet, oportet, « qui, ut est potentissimus, ita promissimus ad « remunerandum erit. » Considerandum quoque quod, ut valde ingeniose idem Auctor observat, quando de premiandis eleemosynis agitur, Christus Patri suo non Dei, sed Patris nomen attribuit: « Pater est enim, cui si modo ipsi placere student « filii, nihil prius est, quam filio bene velle. »

4. — S. Thomas, per adductam Chrysostomi auctoritatem impossibile esse asserit, quod eleemosyna, vel aliud quodcumque opus bonum, quod in occulto facimus, coram oculis mundi sit absconditum. « Impossibile est, ut opus bonum hominis, in « abscondito dimittat Deus; sed in hoc sæculo ma- « nifestat et in illo glorificat. » Idem quoque S. Doctor, ut unumquemque ad operandum, ea cum intentione, ut Deo placeat et ad solam Dei presentiam et oculos ejus, ad opus nostrum considerandum apertos, recogitandos animet et excitet, in sententiam ejusdem Chrysostomi ita subjungit: « Si vis habere inspectores eorum quæ facis, ecce « habes non solum Angelos et Archangelos, sed « Deum universorum. »

5. — Denique considerandum qualis sit operum bonorum nostrorum compensatio et præcipue pondus verbi illius, *reddet*, bene est ponderandum; in eo namque non solum insinuat, habituros non æternæ gloriæ mercedem, verum etiam motivum quoddam suggeritur, quod ad eleemosynam dandam faciles efficiamur; siquidem non obstante, quod omnia bona nature, fortunæ et gratiæ, quæ possidemus, Dei sint bona, ipse tamen se debitorem nostrum agnoscit et nominat. Certum siquidem est, quod tametsi amore Dei omnia nostra dedissemus, nihilominus dicendum nobis esset: *Inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus;* attamen Christus opera nostra ita Patri suo grata futura dicit, quod *reddet nobis*, idque per retributionem æternam.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. IV, VERS. I

1. Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.
2. Et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit.
3. Et accedens tentator, dixit ei: Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.
4. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.
5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei:
6. Si Filius Dei es, mitte te deorsum; scriptum est enim, quia Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.
7. Ait Jesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.

8. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum, et dixit ei :

9. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.

10. Tunc dixit ei Jesus : Vade, Satana, scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.

11. Tunc reliquit eum diabolus, et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei.

Vensus 1.

Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.

Ductus est.

1. — Lyranus, *ibid.*, Christum per impulsu Spiritus Sancti, in desertum istud ductum fuisse scribit? « A Spiritu, scilicet Sancto, quia humanitas Christi erat organum divinitatis et ideo ad omnia agenda movebatur Spiritus Sancti instinctu. » S. Hieronymus, in *Math.*, inquit : « *Ducitur*, non « invitatus aut captus, sed voluntate pugnandi. » Lucas Brugensis verbum *ductus est*, ponderans, hæc inde doctrinam deducit : « Cæterum ne tu in « tentationum laqueos temerarius injicias ; non « Christus ipse tentationis expetivisse dicitur ; sed « ad tentationis locum a Spiritu ductus, quamquam « ipse, ut noverat se ab hoste superari non posse, « ita poterat velle, volebatque ad nostram doctrinam « nam tentari. » Salméron, *tom. IV, tr. x*, fortem illam armaturam considerat, qua prius illum Spiritus Sanctus communiere voluit : « Spiritus Sanctus, « qui Christum expulit in desertum, atque tentantem « dum diabolo exposuit, militem suum bene armatum « atque munitum protulit, ut sine magna « difficultate victoriam comparare posset ; » porro arma hæc fuerunt solitudo et austeritas loci, oratio continua, vigiliæ assiduæ quadraginta dierum et jejunium. Advertit autem Glossa, quod, qui sine hoc Spiritu ad pugnam vadit, cito cadit.

2. — S. Thomas, quinam illi sint, qui a Spiritu Sancto duci dicuntur, declarat, dum ait : *Homines tunc ducuntur a Spiritu Sancto, quando charitate moventur* ; unde Apost., II *Cor.*, v, 14, ait : *Charitas Christi urget nos.*

In desertum.

3. — Priusquam se ad Evangelii prædicationem accingeret, prius ad penitentiam faciendam ingressus est desertum. Unde Lucas Brugensis ait : « Ne « quidem Joannis præconio commendatus, adeo ut « coelitus auctoritate accepta, statim ad prædicandum « dum prorumpit Jesus. » Jam enim Præcursor, illum tanquam promissum Messiam, digito demonstrarat, æternus quoque Pater de cælo dixerat : *Hic est Filius meus, ipsum audite* ; et tamen *cepit prius facere et docere*, et priusquam penitentiam prædicare inciperet, eam prius ipsemet exercere voluit.

4. — Lyranus dicit : « In desertum, locum scilicet « aptum orationi, ut ibi spiritum in oratione « offerret pro nobis Patri. »

5. — S. Anselmus, *ibid.*, desertum hoc, illum fuisse solitudinem existimat, quæ est inter Jerusalem et Jericho, in qua exules et proscripti demorari solebant : *Homo quidem descendebat ab Jerusalem et Jericho, qui incidit in latrones* ; « homo dico, gerens « figuram Adæ, qui a demonibus victus est et peccatis sauciatus, et virtutibus spoliatus ; conveniens fuit, ut ibi Christus diabolum superaret, « ubi diabolus hominem sub figura superasse dictus « est. »

6. — Janenius, hunc Christi in solitudinem recessum humilitatis ejus attribuit ; siquidem postquam paulo ante a Præcursore, tanquam promissus Messias proclamatus esset, a Patre quoque æterno manifeste declaratus fuisset esse ejus Filius ; ac tandem a Spiritu Sancto pariter in specie columbæ fuisset honoratus, operæ præcium futurum esse censuit, si se ab hominum applausu et veneratione per hunc recessum subduceret : « Ut humilitatis « nobis exemplum relinqueret ; » vel etiam, ut vanam gloriam, que ex operibus penitentiae exsurgere poterat, declinaret, ut S. Cyprianus, *Orat. de tent.*, advertit, dum ait : « Locus secretus eligitur « quia solius Dei judicio, jejunia sunt agenda ; « jejuniorum sudoribus laus importuna se ingerit. »

7. — Theophylactus, Christum per hunc recessum et diaboli subsequentem tentationem, hoc nobis documentum insinuare voluisse existimat, quod scilicet demon nos tunc vel maxime tenet, quando nos solitarios esse videt : « Quando videlicet solitarios et non ab aliis adjuvos ; oportet igitur nos « non temere fidere nobis ipsis. » Ecclesiasticus, iv, 10, præclarum monitum est : *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Eadem quoque observatio prius a Chrysostomo, qui hoc stratagemata notavit, adducta fuit hæc verba : « Quia diabolum « volebat allicere, non de esurire solum, verum « etiam de loco, occasionem illi tentationis ingerere « sit ; tunc quippe maxime diabolus aliquos aggreditur cum solos viderit atque ab aliis segregatos. »

8. — Didaeus Stella, in *cap. iv Luc.*, aliam habet observationem satis ingeniosam. Quando aliquis alium ad duellum provocat, tunc is locum eligit, alius autem, qui provocatus est, arma adhibenda destinat ; dum igitur Christus cum Lucifero prælaturus se subduceret, solitudinem eligit, et arma

diabolus. Et, quidem ut victoria tanto esset gloriosior, solitudinem eligit, non sancta sanctorum, non altare sacrificiorum, ubi peccatores cum Deo reconciliantur : « Ubi demonis vires et potentia « franguntur, sed abiit in desertum, ubi demon « ambulare solet juxta illud quod dicitur, quod « extens ab homine, ambulat per loca arida et « deserta. »

9. — Verumtamen etiam dicere possumus, Christum nos docere voluisse, quod ad vincendum demonem permagni intersit, ut quis locum sibi commodum eligat, id est, solitudinem. Albertus Magnus ait : « Subtrahit arma diabolo ad pugnandum, » illa nimirum, de quibus S. Joannes dicit : *Omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*, « hoc est, « divitiæ, deliciae et honores ; et hæc non sunt in « deserto. » S. Ambrosius ait : « Ut evacuetur diaboli tentamenta, nam etsi in abundantia copiarum continentur vixisse laudandum est, « in divitiis et amoenitatibus frequenter tentationis « illecebra est. » S. Augustinus ait : « Minus voluptatibus stimulat, ubi non est frequentia voluptatum. » S. Hieronymus ad S. Paulinum ita scribit : « Multitudines hominum, et officia, et salutationes, et convivia veluti quasdam catenas effugias voluptatum. » S. Paschasius quoque hæc solitudinis prærogativam esse existimat, quod non mediante oratione, per majorem animi recollectionem, cum Deo fortius uniat atque constringat et consequenter, ad resistendum inimico nostro, fortiores, validioresque efficiat : *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine. Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillimitate spiritus et tempestate, præcipita, Domine.*

10. — S. Ambrosius aliud quoddam mysterium hæc verba tangit : « Ut ibi Adam salvaret errantem, ubi fuerat Paradisi possessione dejectus ; « in deserto, ergo primum homini salus refunditur, « ubi non sunt epulæ, ubi desunt deliciae, ubi, « quod est omnium malorum causa, deest mulier. « Videte rem miram ; in paradiso cum Adam diabolus decerbat, in deserto cum Christo diabolus dimicabat, ubique insidiatur homini, ubique congedit, sed ubi mulierem invenit, vincit. »

Ut tentaretur a diabolo.

11. — S. Lucas, iv, 1, de Salvatore ait : *Jesus autem plenus Spiritu Sancto regressus est a Jordane et agebatur a Spiritu in deserto diebus quadraginta et tentabatur a diabolo, et nihil manducavit in diebus illis* ; Piratæ communitur illis navibus magis solent esse infesti, quæ pretiosioribus mercibus onustæ mare sulcant ; ista quoque inimicus infernalis illis animabus majores solet insidias struere, qui ditioribus locupletate sunt donorum, gratiarumque Spiritus Sancti thesauris. Unde S. Hilarius, *can. III in*

Math. : « Tentatur statim post baptismum Dominus, tentatione sua indicans, in sanctificatis nobis, maxime diaboli tentamenta grassari, quia « victoria ei est magis exolata de Sanctis. » Scindum quoque hic est, quod S. Matthæus hoc caput quartum, unde desumptum est presens Evangelium, hæc verba incipiat : *Tunc Jesus ductus est, etc.* Circa quæ verba D. Chrysostomus, quando id factum sit, quærit ; et respondet : « Quando « Pater clamavit de cælo : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit* ; vides ergo quia nemo « baptizatur in igne tentationis, nisi qui factus « fuerit Filius Dei. »

12. — Non est igitur nobis secedendum in deserto, ut ab insidiis et insultibus infernalis liberemur, imo potius quod Christus in deserto tentatus fuerit, ut ait Lyranus : « Per hoc insinuat, « quod aggrediens desertum penitentiae, fortius « tentatur ab hoste. »

13. — Glossa observat, quod protinus post baptismum, postque inchoatam penitentiam et solitudinem impugnatus fuerit : « Tunc, post baptismum, « quia nulla est mora a tentatione ; hic est ordo « rectæ conversationis, ut post acceptam Spiritus « Sancti gratiam, contra diabolum arctius accingamur. »

14. — Astuti hujus serpentis ars fuit et est, nullum nobis in bonis operibus inchoatis tempus aut moram indulgere, scit enim, quod principis obstare necessum sit. Unde S. Cyprianus ait : « Cogitationum foribus assidens, omnia virtutum germina, in ipso ortu strangulare molitur. » Et Chrysologus, *Serm. xi*, dicit : « Diabolus semper « primordia boni pulsat, tentat rudimenta virtutum, sancta in ipso ortu festinat extinguere, « sciens quod ea subvertere fundata non possit. »

15. — Viderat, inquit S. Leo, per Christi humilitatem in Baptismo exhibitam, conculeatam suam superbiam, omnemque carnis appetitum in eo quadraginta dierum jejunio mediante extinctum : « Et « tamen non desperavit de artibus suæ malitiæ « spiritualis improbitas, tantum sibi de nature « nostre mutabilitate promisit, ut, quem verum « experiebatur hominem, præsumeret posse fieri « peccatorem. » Nimirum docere nos Christus voluit, nullum hominem, quamvis sanctum et immaculatum, presumere debere, se a tentationibus futurum fore liberum, quando nec ipse ab iisdem immunis exstitit.

16. — Glossa, *ibid.*, dicit : « Nec indignum fuit, « Christum tentari, qui venerat occidi. » Utrique enim quod longe atrocius et mirabilius fuit, Christum in medio latronum, in patibulo crucis suspendi, quam quod idem ipse, inimici communis subjeceretur certamini. Causa autem, ob quam, tribus hæc demonis tentationum insultibus infestari acquirerit, a Lyrano tangitur, dum ait : « Ostendit,

« quod omnis tentatio vel est a carne, vel a mundo, « vel ab hoste. » Porro Apostolus de Christo hoc perhibuit testimonium, *Hebr.*, iv, 15 : *Non enim habemus Pontificem, qui non possit computi infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* At vero quonam modo, per omnia probatus fuerit, ex eo deducere possumus, quod notat S. Anselmus, nimirum quod a tribus illis tentationibus, omnes aliae derivantur. Verum quidem est, quod ex textu S. Lucae, colligi posse videatur, Christum per totam quadraginta dierum tempus quotidie tentatum fuisse, quod etiam verba expresse insinuantur videntur. *Consummata omni tentatione.* Verumtamen verisimilius est, quod tres solum tentationes fuerint, ad quas omnes aliae redeuntur. Dicit autem Apostolus, ipsum fuisse *tentatum absque peccato*, quia secundum doctrinam Glossæ in hunc locum « tribus modis fit tentatio, « suggestio, delectatio, consensus; Christus sola « suggestione tentatus fuit, quia delectatio peccati « mentem ejus non momordit. » Bada quoque scribit : « Omnis illa diabolica tentatio, non intus fuit, « sed foris. »

17. — S. Thomas dicit, diabolum nunquam adeo futurum fuisse audacem, ut ad Christum tentandum accederet, « nisi prius Christus accessisset ad « eum. » Finis autem, quem Christus hac in re habuit, inter alios, ut idem Angelicus Doctor asserit, hic fuit : « Ut, sciat morte sua vicit nostram, sic « tentatione sua superaret omnes tentationes nostras. » Et S. Joannes Damascenus, *lib. III de Fide*, c. xx, ait : « Tentatus est, ac superavit, ut nobis « victoriam compararet, naturæque nostræ fragendi adversarii vim tribueret. » Nimirum fastum et superbiam dæmonis deprimere voluit, qui hæcenus, post tot secula, a devicto primo homine elapsa usque ad Christum, superior semper remansit : « Superato dæmone, universa ejus arma abstulit, « in quibus confidebat, et spolia ejus distribuit, » inquit Salmeron. Lucas Brugensis asserit Christum in hoc certamine nobis dare voluisse, ad obtinendam adversus dæmonem victoriam, exemplum pariter et subsidium : « Ut mediator semper nobis ad « superandas tentationes proponeret, tum per ad « iutorium, tum per exemplum. » Nam ut Apostolus ad Hebræos, ii, 18, ait : *In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari.*

18. — Jansenius pariter et Lucas Brugensis, ex hac tentatione, quæ Christo, priusquam Evangelium annuntiaret, accidit, optimam pro prædicatoribus eliciant doctrinam. Dicunt enim Christum hanc tentationem admisisse : « Quo doceret, tum « demum hoc negotium, » nimirum verbi Dei prædicationem, « recte obiri posse, cum quis prius « probatus variis tentationibus, superior omni concupiscentia voluptatis, honoris et divitiarum

« fuerit. » Lucas Brugensis adjungit : « Postquam « castigatum corpus in servitium redegeris, ut « non sit in periculo, nec cum aliis prædicaverit, « ipse reprobus efficiatur. »

Additiones.

a. — *Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.* Poterat Christus Dominus ante baptismum tentari, sed noluit, nisi post ipsum susceptum, in nostrum documentum. Ut unusquisque, cum baptisatus fuerit et fidem Christi suscepit, si post baptismum majoribus tentationibus urgeatur, non utique turbetur. Idcirco enim Christianus accipit arma, non ut otietur, sed ut pugnet et conformiter ad fidem susceptam operetur. Nota est omnibus Evangelica illa vineæ parabola, ad cujus culturam, magnus ille Palerfamilias multos conduxit laboratores. Per hæc autem vineam Jansenius Ecclesiam intelligit dicens : « Vineam neam intelligit Ecclesiam, quæ in Scripturis, per « vineam sæpe significatur. » Observandum vero est, quod in eadem parabola, sæpius de operariis mentio fiat, cum lamem et contra otiosi reprehendantur. De qua re S. Paschasius ita scribit : « Omnes « simul qui vocantur ad vineam, una Ecclesia sunt, « unaque vinea de vite, quæ Christus est, propaga- « gata, in qua et ad quam qui intrat, vel qui « conducitur, nemo otiosus, sed omnes operarii « esse debent. » *Voca operarios et redde illis mercedem*, inquit Dominus vineæ procuratori suo; quia ut Jansenius ait : « Nulli merces datur, nisi « his qui operati sunt. »

b. — S. Petrus Chrysologus, *Serm. xi de tent.*, ait : « *Ut tentaretur a diabolo.* Diabolus semper « primordia boni pulsat, tentat rudimenta virtutum, sancta in ipso ortu festinat extinguere, « sciens quod ea subvertere fundata non possit. » Statim post baptismi aquas, omne præliandi genus parat diabolus; semper enim antequam virtutes adolescentem machinas suas adhibet. S. Gregorius egregium quemdam adducit aphorismum morale, quo maligni serpentis astutiam manifeste detegit dicens : « Callidus adversarius, cum a bonorum cordibus repellit se conspiciit, eos qui ab « illis valde diliguntur exquirat, per eorum verba « blandiis loquitur, qui plus cæteris amantur. » Pharus verus dæmonis typus, populi Dei etiamnum lactentem et fasciis involutum, in aquis Nilii submergi præcipit. Verum quod sunt hodie quos dæmon in aquis illis de quibus Job ait : *Bibit quasi aquam unguentum*, suffocare et submergere nititur, dum etiamnum in spirituali vitæ principio hærent? « Si aliquis studium sum, » ait Didacus Stella, « culti divino applicat, statim a diabolo innumeris « interpellatur modis. Hæc est una de astutis diaboli, bonum inceptum videlicet in principio et « germine suffocare; unde per serpentem religio-

nem in Paradiso incipientem, et quasi nascentem suffocavit. »

c. — « *In desertum,* » ait D. Cyprianus, *Orat. de tent.*, « Christus ingreditur, locus secretus eligitur, « morum sudoribus laus importuna se ingerit, et « subtilissimis aculeis penetrans animam, dum « extollit, emollit. » Ut divinus Magister nos doceret vanam gloriam ac hypocrisin fugere, et opera nostra cum recta intentione peragere, ideo ipse ad orandum ac jejunandum in occultum ad desertum se confert. Per hypocrisin enim operum honorum merita amittuntur. Audite D. Chrysologum : « Hypocrita, elaborasti jejunium, ut labor tibi jejunium non prodesset. Hypocrita, abstinentiæ fluctus intrasti, continentie descendisti undas, enastasti jejunium pelagus, et in ipso portu jejunium naufragasti; quia non comparasti lucrum, sed mercatus es vanitatem. » S. Augustinus ad illa Redemptoris nostri verba se reflectens : *Receperunt mercedem suam*, illudque verbum, *suam*, præcipue observans, inquit : « Signanter dicit : *Receperunt mercedem suam*, hoc est, non Dei sed suam. Laudati enim « sunt ab hominibus, quorum causa exerceverunt « virtutes. »

d. — Sicut Christus Dominus omnia alto consilio operabatur, sic quoque non sine magno ratione mysterii, se tentari permisit. Rationem pulchram assignat D. Leo, *Serm. I de Quadrag.* « Ob hoc, » inquit, « Dominus se tentari a tentatore permisit, « ut cujus manum auxilio, ejus erudiamur exemplum. Pugnavit ergo iste tunc, ut et nos pugnaremus; vincit ille, ut et nos similiter vinceremus. » Cum militia sit vita hominis super terram, ut Dominus suos instrueret ad pugnam, eamque ut securam redderet et facilem, non solum illos firmavit auxilio, verum etiam exemplo; quod sicuti est efficacissimum, sic etiam difficillem virtutis viam facilem reddidit.

e. — Petulans plane audacia et impudens temeritas, Christum Dei Filium tentationibus adoritur. Verum ideo ad tentandum accedit, quia circa Christum in magna hæsitatio versabatur, e qua ut se eximeret, cum diversis tentationibus aggreditur; eo quidem fine et impulsu, ut eum ad peccandum alliceret, uti sentit D. Basilus, *Serm. de abdicatione verum temp.* Idem docent S. Ignatius, *Epis. viii ad Philipp.*, D. Cyprianus, Gregorius Nazian. et Chrysostomus. Et quamvis in Christo Domino omnes præclarissimæ virtutes in excellentissimo gradu reuerent, tamen cum hominem videret, eum in peccatum trahi posse ac sibi victoriam comparare sperabat. SS. vero Hieronymus, Augustinus et alii Patres eo fine dicunt Christum tentasse, ad explorandum an esset Filius Dei. Sed quidquid sit de his sententiis, queri potest ad quod peccatum Christum dæmon inducere tentaverit, ut

inde intelligeret Christum Filium Dei esse? Ad impatientiam, nam patientia quæ quid divini in se continet, Christum Filium Dei esse demonstrat. Et idcirco toties tentationes reiterat et alias graviores obiectat. Sic enim apud se astutissimus dæmon argumentabatur. Impatiens si fiat, Filius Dei non est; si vero nequaquam movetur, in eo aliquid divini est.

Sapiens, post præmissum in *cap. II* libri Sapientie diligentissimum circa divinitatem Filii Dei examen : *Gloriatur Patrem se habere Deum, si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum et liberabit eum de manibus contrariorum*, mox ad ejus manifestandum divinitatem sequens subjungit infallibile argumentum : *Contumelia et tormento interrogenus eum, ut probemus patientiam illius.* S. Cyprianus, *de bono patientia*, de Filio Dei in hæc verba scribit : « Quia ad hoc descendisse se dixerat, ut voluntatem Patris faceret, inter cætera admirabilia virtutum suarum, quibus indicia divinae Majestatis expressit, paternam quoque patientiam tolerantiam tenore servavit. » Imo quis est qui filiationem divinam patientiæ partem esse ignoret? Audiamus Tertullianum, qui præceptum hoc mansuetudinis et christianæ patientiæ a Christo emanatum : *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri qui in caelis est, considerans*, ait : « Prohibita ira, restricti « animi, compressa petulantia manus, exceptum « lingue venenum, plus lex quam emisit invenit, « dicente Christo : *Diligite inimicos vestros, ut sitis « filii Patris cælestis.* Videte quem nobis Patrem « patientia acquirat. »

f. — Sicut athlete, ait Thomas Beauxamensis, cum discipulos suos vincere docent, data opera in palæstris cum aliis certamen exercent, ut in luctationum corporibus faciant artem spectare vincendi; ita Dominus diabolo tentationis occasionem obtulit, ut in eo victo, vincendi quoque nobis formam reliqueret. Igitur Christus annum agens sua ætatis trigesimum, decimo sexto mensis februarii in deserto secedit, ut tentaretur. Poterat quidem Christus in civilitatibus, in media hominum frequentia has tentationes sustinere; at in ærenam ducitur, ut locum tentatori præbeat. « Tunc quippe, » ait S. Chrysostomus, *Hom. xii in Matth.*, « aliquos « diabolum aggreditur, cum solos viderit atque ab « aliis segregatos. » In solitudine enim dæmon pro viribus suis nos tentat, quia in hac ipsum cum suis tentamentis felicitus et securus expugnamus. Igitur, o homo, solitudinem ama, ut tentantem dæmonem evincas.

g. — In deserto ducitur ex hac causa Christus Dominus, quia frequenter pernoctabat in deserto propter orationem, quæ requirit quandam mentis quietem et elevationem in Deum. Et sic dicitur, *Luc.*, vi, 16 : *Factum est in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.*

Voluit ergo Christus esse in loco solitudinis, ut liberius orationi vacaret; ad quod nos etiam exhortatur, *Math.*, cum ait: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum.* Beatus Petrus Damianus, ad predicta S. Matthaei verba alludens inquit: « Remotiorum secessuum abdita penetrentur; furtiva: quippe orationes, cum se inferunt caelo, indulgentiam rapiunt, dum frequenter in tenebris, caelesti lumine perfunduntur. » Porro cum Christus cameram nostram ingredi, ejusque portam elatere suadeat, eo sensu quo S. Ambrosius ait: « Cubiculum tuum mens tua est. » S. Cyprianus modum hanc portam claudendi his verbis nobis indicat: « Claudatur contra adversarium pectus, et soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis adire patiatur. Obstrepit enim frequenter et penetrat, et subtiliter fallens, preces nostras a Deo avocet, et aliud in voce. » S. Laurentius Justinianus, *de Oratione*, v, ait: « Ad orationem disponit solitudo de qua per Oseam dicitur: *Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus.* Quamdiu namque animus permixtus est turbis et in multitudine fluctantium volutatur, nec vacat soli Deo, nec segregatus est a vulgo. »

H. — Quastio hic non inutilis moveri potest, quod cum omnes Christi actiones sint a Spiritu Sancto, in hac actione tamen dicatur potius esse ductus quam in aliis? Respondet D. Chrysostomus, *Hom. xiii in Matth.*, quod Christus hic specialiter dicatur motus a Spiritu Sancto, ut intelligatur actus ille laudabiliter et discrete factus, quia si non constaret Christum esse Deum, non esset aliquis actus inter omnes actus ejus, de quo magis posset quis Christum arguere quam de hoc, quia ipse voluit ire in desertum ut tentaretur, et sic exponeret se periculo, quod licet hic quidem de omni genere tentationum intelligendum sit, maxime tamen id locum habet in iis quae sunt contra castitatem; hanc enim qui conservare studet, dimicare debet, non resistendo sed fugiendo. Ut ergo nunc, ait Abulensis, *quaest. iv et viii*, nemo posset Christum prima facie arguere, dicitur ductus a Spiritu Sancto, quia ut D. Hilarius, *com. iii in Matth.*, ait: « Non aliter eum diabolus tentare audeat, nisi Spiritus Sancti facultate permessa. » Sic quoque nec ulla in nos potentia prevalere potest, nisi quantum Deus limitate et in profectum nostrum indulget. S. Augustinus illa verba Psalmi *ciii*, *Draco iste quem formasti*, ita legit: *Quem fecisti, et subdit: « Jam tu illud draconem, ad hoc enim hic factus est draco. » Multi dicunt quare tantam potestatem diabolus accipit, ut dominaretur in hoc saeculo et tantum valeat et tantum possit? » Sed respondet S. Augustinus: « Quantum valeat, quantum potest? Nisi permissus, nihil potest. Tu sic age, ne permittatur in te, aut si permissus fuerit ad tentandum,*

« victus abscedat et non possideat. » Idem quoque alibi de ejus potentia disserens ait: « Habet cupiditatem nocendi, facultatem autem non nisi quae datur, vel ad subvertenda et perdenda vasa irae, et vel ad humilianda, sive probanda vasa misericordiae. »

VERSUS 2.

Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esurivit.

Et cum jejunasset.

1. — Paulus de Palatio querit, quenam causa fuerit, quod Sapientia incarnata vitam penitentem a jejunio ordiri voluerit. Et respondet: « Sancti Spiritus instinctus est, a Spiritu enim agitur ad jejunandum, sane cum *spiritus conceperit adversus carnem*, nihil antiquius habet spiritus, quam « statim carnem donare. »

2. — Didacus Stella dicit, secundum hunc Adamum voluisse, ut vita per jejunium ordiretur sicut mors in primo Adamo et in tota ejus posteritate coeparet per gulam. Unde Glossa quoque, *in Luc.*, v, ait: « In pagna Christi prius agitur contra gulam « jejunando, per quam victus est primus homo. » Unde et Christum se prostratum speravit ad eum modum, quo Adamum in statu innocentiae iustitia originali gloriose destitutum detriumphavit.

3. — Diabolus optime novit, Christum limatiorem et potentiora adversus ipsum non habere arma, quam jejunium; ac proinde, ut inquit Chrysologus, *Serm. cxxxi*, « signum panis petit, ut jejunium sibi « tremendum refugiat, » quippe dum eum famelicum vidit, spem firmam ipsum se vincere posse concepit. Unde Theodoretus ait: « Famem conspiciens, ex illa, ceu edito loco tela immittit. » Lucas Brugensis postquam Christum nos docere voluisse dixisset, jejunium esse invincibile adversus inimici insultus propugnaculum, subjungit: « Adam in « paradiso victus oblectamento cibi; Christus in « deserto diabolum vicit austeritate jejunii. » Ideo quoque primis parentibus nostris ut se a serpente defendere possent, abstinentiam praescripsit, *Gen.*, ii, 27, dicens: *De ligno scientiae boni et mali ne comedas;* ut vero praescripto sibi remedio nesciverunt uti. Theophylactus similiter jejunium magnam appellat armaturam: « Jejunavit, ut ostendat quod « magna armatura contra tentationes sit jejunium. » Idem supra S. Lucam scribens, id ipsum repetens, subdit, Christum nos docere voluisse, « quod in tentationibus, armorum loco, sint jejunia, et tunc debeamus non vacare deliciis, sed jejunia. »

4. — Didacus Stella, *in Luc.*, aliud quoddam motivum jejunii Christi adducit, quod huic temporis, quod tot crapula paulo ante, tantaque gula processit, est convenientissimum. Dicit enim Chris-

tum jejunasse, « ut nostram ingluviem destrueret « jejuni suo, in solitudine vitam debebat, ut nos « tras iniquas conversationes dissiparet. » Abulensis, Christum ideo jejunasse dicit, ut praecipuum illud, per hoc jejunium executioni demandaret, quod suis discipulis relicturus erat: « Jejunat Christus, ut nobis jejunandi exemplum traderet, nam « cum ipsemet fuerit plenissimus legislator, debuit « nos de omnibus instruere. » Chrysologus ait: « Videte, fratres, quod quadagesimam jejunamus, « non est humana inventio, auctoritas est divina. »

5. — Paulus de Palatio ad locum sese reflectens, in quo Christus corpus suum per jejunium, aliasque corporis austeritates maceravit, insigne quoddam adversus hypocrisis documentum elicit: « Jejunans, » inquit, « in deserto, edens vero et bibens « in civitate, docuit quam aliena debeat esse vita « christiana ab omni fraude, furo et hypocrisi. » Hypocrita ubi videtur, jejunat; cum vero testis « abest jejunio, abest et jejunium; at non ita, qui « ex animo pius est; is claudit cubiculum suum, « cum opus bonum facit; cum vero edit et bibit, id « operatur in aperto. »

Quadraginta diebus et quadraginta noctibus.

6. — Ad hoc ut omnis tolleretur occasio suspicandi Christum solis diebus jejunasse, adjungit quoque S. Matthaeus et noctes, circa quod temporis spatium, haec a S. Anselmo moralitas adducitur: « Ut indicaret, nos ab illicitis jejunare, sive in tempore prosperitatis, quod per dies designatur, sive « in tempore adversitatis, quod per noctes notatur. »

7. — Porro quadragenarium hunc dierum numerum excedere noluit, ne quis esset demoni detegeretur; siquidem Moyses et Elias tametsi puri homines fuerint, totidem diebus jejunaverunt. Unde Lyranus, *ibid.*, ait: « Ut virtus divinitatis diabolo « celaretur quia Moyses et Elias jejunaverunt tot « diebus. » Etenim si hunc dierum numerum superexcessisset, demon ipsum plusquam hominem esse suspicari potuisset.

8. — Auctor Imperfecti, *Hom. v*, dicit Christum hunc dierum numerum, suo praefixisse jejunio, ut quadagesimi jejunii nostri poneret mensuram. Per hunc etenim numerum, quadagesimale jejunium nostrum consecrare voluit. Unde S. Ambrosius, *Serm. cxxiv*, ait: « Quadagesimam nobis Dominus « suo jejunio consecravit, » quod idem S. Augustinus citatus docuit. Jansenius, *cap. xv*, ait: « Non « excessit numerum quadragenarium jejunando, « quod hic numerus sit penitentiae et afflictionis. »

9. — Mystero quoque numerus iste non caret, quia sicut Moyses legem scriptam populo Dei promulgaturus, per quadraginta dies jejunavit, ita Christus paulo post, legem novam Evangelicam per suam predicationem annuntiaturus, longam

quoque abstinentiam praemittere vult. S. Maximus tamen, inter Christum et Moysen jejunantes, hanc differentiam notavit, quod scilicet Moyses post jejunium, scriptas Dei digito tabulas populo praeparavit; Christus post jejunium, mansurum per saecula Evangelium consecravit.

Postea esurivit.

10. — S. Ambrosius, *in Luc.*, ait: « Esurire se « simulat, ut diabolum, quem jejunando jam vice « rat, iterum esuriendo sollicitet; » nimirum sub infirmitatis tegumento, divinitatem suam abscondere voluit, sese ad instar hominis vulgaris post jejunium tam diuturnum famelicum exhibendo. Unde Glossa ait: « Latet potestas, patet infirmitas. » S. Bonaventura similiter, Christum in deserto tentatum esurisse, in monte Calvario vero crucifixum, siliisse dicit, ut se mortalitatem nostram vere assumpsisse ostenderet. S. Maximus hoc loco querit, cur de Moysse, post adeo diuturnum, continuum et rigorosum ejus jejunium, sacer lectus eum quoque esurisse non dicat, quemadmodum id ipsum de Christo scribitur? Et respondet: « Moyses « utique non esurivit ut in homine fragili opere « rata divinitas probaretur; esurivit Dei Filius, ut « assumptionem carnis nostrae, fragilem suscepisse « hominem revelaret. » Lucas Brugensis ait: « Non « necessitate coactus esurivit, qui praest nature, « sed voluntate; » adducit S. Augustini testimonium ita scribentis: « Mirabilis in Christo fuisse, « quod exactis quadraginta diebus esurivit, quam « quod labentibus illis nil comedit; » quia humanitatem suam etiam sine cibo sustentare poterat, et quando eidem subministravit, id tantum fecit, ut se hac nostra mortalitate vere cinctum esse denotetur.

11. — S. Anselmus, *in Matth.*, dicit: « Mystice « etiam esurivit Christus, quia salutem nostram « desiderabat. » S. Hilarius pariter ait: « Non « cibum hominum esurivit, sed salutem; » voluitque ut idem S. Pater ait, post quadraginta dies esurire, ut denotaret, se post quadraginta dies, quibus nobiscum post passionem suam conversatus erat nostrae salutis longam majorem famem et desiderium habiturum, quam alias habuerit unquam: « Esuritionem se humanae salutis habiturum. » Idem quoque Chrysologus scribit: « Cum propter te « jejunat Christus, te esurivit. »

Additiones.

a. — *Cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esurivit.* Bene quidem observat Salmeron, *tom. IV*, p. 1, *tract. x*, ante hoc jejunium saepius Christum Dominum jejunasse, nam in lege veteri, quam Christus Dominus non venit solvere sed adimplere, erant multa jejunia praescripta. Tamen Evangeliste de hoc solum jeju-

nio quadragenario mentionem faciunt, quia alia jejunia pertinebant ad observationem legis veteris, hoc vero ad initium legis gratiae; deinde illa jejunia erant veluti personalia et veluti particulariter spectabant ad personam Christi, prout sub lege voluit esse, hoc vero quadagesimale ad exemplum totius populi christiani.

b. — Comparat D. Maximus, *Hom. in de jejunio*, duorum legislatorum inter se jejunia, Christi videlicet et Moysis; ait enim: « Jejunat Moyses ut Deum a videret; jejunat et Christus ut unum esse cum Deo, dum de diabolo triumphat, ostenderet. » Jejunium enim quippiam angelicum et divinum in se continet, nosque Deo similes reddit. S. Zeno de Elia scribit: « Vido jejunando Elias quo ascenderit; » vide Heva quo descenderit manducando. » Idem Sanctus quosdam atque habuerit consiliarios, quemque diversum uterque nactus fuerit exitum considerans, dicit: « Ibi, » id est, in Paradiso terrestri, « Heva ad manducandum auctor et consiliarius est serpens, imo diabolus in serpente: hic ut jejunans ascendat ad caelum, auctor est et monitor Deus. » De Moyse S. Chrysologus, *Serm. CLXVI*, ait: « Moyses dierum quadraginta jejunio, ita hunc manna defecatus est et exinanitus a corpore, ut totus divinitatis mutaretur in gloriam et adhuc nostri corporis obscuro toto fulgeret lumine Deitatis. » Licet enim quadraginta dierum jejunio, ab omni cibo corporali abstineas, plane se extenuaret, cibo tamen longe solidiori, meliorisque substantiae nutriebatur alimento: « Substantia Dei diu pastus, tota mortalitas cibi oblitus fuerat adjumenta. » Adeo enim strictam cum Deo inierat amicitiam et familiaritatem, ut ipsemet de se constetetur, *Evad.*, xxxiii, 11: *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.*

Salvator noster S. Joanni Baptistae Angeli epithetum attribuit dum ait, *Luc.*, vii, 27: *Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum. Et quidam dubium non est, quin Sapientia increata Joannem hac nostra mortali carne indutum foisse noverit. Nihilominus, Angelum suum appellare voluit, quia jamjam de eo dixerat: Venit Joannes non manducans neque bibens.*

c. — Antequam Christus ad pugnam diaboli descendat, se jejunio armavit, non pro se, sed pro me, ut nos suo exemplo instrueret, ut nulla sanctitate securi omittamus arma jejunii; abstinentia enim fortis est adversus daemonem armatura, quod Christi exemplo ostenditur. Ex Evangelio enim clare satis constat, quod quandiu Salvator noster diuturnum illud, nec unquam per quadraginta dies et noctes, per ullius rei comestibilis interruptum, jejunium continuavit, Lucifer nonquam coram eo in publicam arenam descendere praesumpserit, sed potius, ut credibile est, e longinquo constitutus,

hujus tam rigorosi jejunii exitum curiose observaverit et tunc pridem eum convenierit, quando ipsum vel arte, vel studio et data opera, famere conspexit: *Postea esurivit.* Tunc inquam Lucifer et ejus jejunium totaliter disperderet, tentaturus eum subito propius ad ejus latera accessit: *Postea esurivit; et accedens tentator dicit ei: Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.*

d. — S. Basilus, *Hom. 1 de laudibus jejunii*, ait: « Dominus noster non prius in carne, quam pro nobis assumpserat, diaboli insultus excepit, quam in jejunio se commisisset, simul et nos erudiens, et ut nosmet adversus tentatoris conflictus, exemplo palestrarum, ungamus et exerceamus. » Cum e contra serpens infernalis ad prosternendum hominem, inter omnia alia arma, solam gulam elegerit. Tametsi demon ab instanti creationis Ade et Eve perniciem continuo machinatus fuerit, apertum tamen cum illis praedium inire minime praesumpsit, nisi postquam oculis eorum obijcisset pomum pulchrum et delectabile aspectu gustuque omnino gratum: « Vidit igitur mulier quod bonum e esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis, e aspectuque delectabile, et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit. » S. Basilus de gula disserens, quantumque haec generi humano perniciosus exstiterit, ostendere volens, inquit: « Haec fuit quae Adae interitum et post ipsam, e etiam universae illius posteritati exitum apportavit. » S. Joannes Climacus addit: « Totius generis humani crudelis dominatrix gula appellatur. »

VERSUS 3.

Et accedens tentator, dicit ei: Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.

Et accedens tentator.

1. — S. Anselmus dicit: « Iste dicitur esse magister suadum. » Estque credibile tentatorem hunc Luciferum fuisse, omnium rebellium spirituum caput et primicerium: « Ille princeps e demonum Lucifer, qui primum hominem tentavit, » inquit etiam Albertus Magnus. Cajetanus autem ipsum in specie humana apparuisse existimat, idque ut verbo illo accedens se ducere posse putat: « accedere enim progressivus motus est, » convinciturque ex hoc, quod universa, quae describitur, tentatio, foris fuit, non intus. » Ejusdem quoque opinionis est Albertus Magnus, dum ait: « Accedens passibus localibus. » Lucas Brugensis dicit, quod accessit, « visibili forma, et quod non est dubium, humana. » Et ratio est, quia se detegere volebat, quisnam esset, ne faciliorem a Christo palestram repulsum. « Forma humana quae cognosci non possit diabolus, imo putari posset plus aliqui eremi cultor, quo facilius falleret. »

2. — Tempus quoque magnopere considerari meretur, quo diabolus ad tentandum prodit, nimirum post susceptum a Christo baptismum, post transactam in deserto solitudinem, orationem et continuum quadraginta dierum jejunium; nam ut S. Anselmus, *in Moth.*, ait: « Christus post baptismum, permisit se tentari non ante, ut tentationes e baptizatis doceret immitti, diabolus enim ante e baptismum cum suis esse putat, non eos ita acriter aggreditur. » Beda addit, daemone tunc adversum nos magis ferocire, quando nos ei magis renuntiamus: « Quanto magis nos sibi rebellare e conspicit, tanto amplius expugnare contendit, eos enim pulsare negligit, quos quies jure possidere e sentit. »

3. — Haud importune hoc loco quaeri potest, cur serpens ille, qui erat *callidior cunctis animantibus terra*, Adamum tentandi causa accedere ausus non fuerit, sed illum Eva mediante tentavit; cum tamen ex alia parte adeo fuerit arrogans, ut cum hoc secundo Adamo, per tentationes congredi non dubitavit? Respondetur igitur, Adamum tunc in statu innocentiae et justitiae originalis positum fuisse, ac prout non ita facile ei fuisse, ut ipsum seduceret. Christus autem apparebat: *In similitudinem carnis peccati*, et hoc est, quod ei animi audaciam suggestit et arrogantem fecit.

Dixit ei: Si Filius Dei es.

4. — Theophylactus dicit, quod, tametsi diabolus testimonium Patris aeterni, quod de filiatione divina Christo, tum ad Jordanem, tum in monte Thabor

constituito, perhibuit, non ignoraverit; huic tamen fidem nequaquam adhibere voluerit, ideoque ut se omnino haec de re certiores faceret, dixerit: *Si Filius Dei es, » quasi dicat, ego non credo voci e caelitus misse, attamen tu, si Filius Dei es, ostende e mihi. »*

5. — Porro admirabilis illa in Christo duarum naturarum, humanae scilicet et divinae uniti, diabolum mire excecabat, nam ut Cyprianus a Glossa citatus, ait: « Impossibile ei videbatur, vel quod esuriret e divinitas, vel quod tantae tolerantiae posset esse e tantaque potestatis corporis humilitas. » Ex altera vero parte, multa habet signa, valde eum ad credendum urgentia, Messiam promissum jam pridem advenisse.

6. — Beda, *in Luc.*, dicit: « Redemptorem e humani generis, debellatorem suum, in mundum e venisse cognovit, ut patet in testimonio, quod e per demoniacum perhibuit, dicens, *Matth.*, viii, e 29: *Quid nobis et tibi, Jesu, Fili Dei? esuristi haec ante tempus torquere nos.* » Imo per oracula et vaticinia Prophetarum, per factas antiqui Patriarchis revelationes et promissiones datas, ipsum venturum esse, daemone sciebat. Et quidem Christum, verum Dei vivi Filium esse suspicabatur, ut inquit Albertus Magnus, ex apparitione prodigiosae illius stellae, e trium regum Magorum adoratione, e pastorum Bethlehemitarum obsequiis, e Simeonis, Annae Prophetissae, Zachariae et Elisabethae oraculis et laudibus, beatissimae Virgini attribuit, quibus addi possunt, ut Glossa observat, Gabrielis Archangeli intimata annuntiatio, nec non clara S. Joannis Praecursoris, de ipso facta declaratio; et tamen his omnibus nequidquam obstantibus: « Omne, quod de ejus divinitatis suspicatus est, ei e fastu suae superbiae, in dubium venit. » Albertus Magnus quoque ait: « Nullo modo tamen ipse e superbus credere potuit, quod usque ad tantum e humilitatis, paupertatis et passibilitatis gradum e descenderet. »

7. — S. Bonaventura astutiam ejus hisce verbis observat: « Cum videret Jesus infirmitatem, et e dubitaret de divinitate, voluit divinitatem cognoscendo cavere, et humanitatem seducendo dejicere. »

Dic, ut lapides isti panes fiant.

8. — Chrysostomus notat, *Hom. xii*, Luciferum non premisere verbis predictis proemium aliquid, per quod Christum, ad miraculum lapidum in panes mutandorum patrandum paulatim dispo-neret, dicendo, v. g. ex quo tanta fame et inedia affligeris, nec panis praesto sit, qui ad manducandum exhiberi tibi possit, muta lapides istos in panes; sed absolute ab eo, tanquam Dei Filio, petissee miraculum, ex motivo ostentationis et vanae gloriae ab ipso patrandum: « Non dixit, quandoquidem

« esurias, sed si Filius Dei es, videlicet existimas, « posse illi aliquo per laudum blandimenta suffu-
« rari. » Idem quoque Theophylactus his verbis
scribit: « Adulatur ei, putans se quid suffuraturam,
« dicendo: Si Filius Dei es; » nititur enim ad in-
« nam gloriam, neque enim diabolus id suadebat, ad
hoc ut Christus famem suam sedare posset, sed ut
illum, propter humanam sibi comparandam applau-
sum, ad miraculum faciendum induceret: « Quia
« inanis gloria esset, si hoc vellet consequi per
« miraculum, cum potius in labore sit sumendus.
« Psal. cxxvii, 1: *Labores manuum tuarum quia man-*
« *ducibus, beatus es, et bene tibi erit.* » Jansenius
ait: « Sollicitabat partim quidem ad gula vitium,
« partim vero et magis ad inanem gloriam et vanam
« sui ipsius ostentationem, ut etiam ad diffiden-
« tiam divini oraculi. » Et quidem tametsi de gula
et voracitate culpari aut reus fieri per hoc non
potuisset, si lapides in panem mutatos manduca-
casset: « Tamen occasione famis obedire aliqua in
« re diabolo, gula vitio adscribendum esset. » Tandem
subjungit, quod ad propositum de vana gloria
servit, nimirum: « Magis tamen hac in re peccatum
« fuisset, ob vanam sui ostentationem; nunquam
« enim profendum est miraculum, nisi cum id
« postulat gloria Dei, aut fraterna charitas; non
« hominum libido. » Chrysologus, *Serm.* II, ait:
« Signa fidei credenti danda sunt ad petentis salu-
« tem, non facientis injuriam. »

9. — Verum dicat fortasse aliquis, ex quo dia-
bolus Christum permovere volebat, ut jejunium
illud adeo diuturnum et austerum, tandem ali-
quando ahrumperet, pessimo consilio illi lapides in
cibum obtulit. Resp. Imo vero opportune satis,
lapides illi presentavit, sciebat enim, quod veri
servi Dei saepe famem suam mucido, rancido et
instar lapidis duro pane comescere soleant; vel
etiam, ut S. Anselmus scribit: « Satis convenienter
« lapides offert is, qui durus est et impenitens. »
S. Paschasius ait: « E lapidibus apte eligit panem
« pascere, ut quam durus sit, qui loquitur, tali
« signaretur exemplo. » Præterquam quod etiam
dici possit, quod, qui attente rem considerat, inve-
niet quod omnia gaudia, deliciae, voluptates, quas
dæmon nobis offert, et quibuscum nos inescare
nititur, et in substantia nihil sint aliud, quam lapi-
des et saxa ad rolandum aut mordendum duris-
sima, tametsi prima facie deliciosissimi panes esse
videantur. Unde Sapiens, *Prov.*, xx, 17, ait: *Suavis*
est homini panis mendacii, et postea implebitur os
ejus calculo. Verum quidem est, quod paulo post
hanc tentationem superatam, omnia regna universæ
terre obtulerit, sed dolose et fraudulenter promisit,
quæ dare non potuit; siquidem *Domini est terra et*
plenitudo ejus; orbis terrarum et universi qui habi-
tant in eo. Unde in hac occasione vere paupertatem
prodidit, siquidem aliud presentare et offerre non

potuit, nisi ea, quibus alpester desertum illud
abundabat, id est, lapides.

10. — Dionysius Carthusianus quoque hujus
diabolicæ suggestionis rationem reddit, in *Math.*,
dicens: « Tentavit autem de lapidum mutatione in
« panes, eo quod esset fame laborans, et per con-
« sequens magis inclinatus ad tale miraculum. »
Nimirum unumquemque juxta genium, inclinatio-
nem et propensionem suam tentat, optime occur-
rentibus uti novit conjuncturis et occasionibus,
quas non facile negligit.

11. — Cajetanus dicit, rebellem hunc spiritum
optime intellexisse, Christum unico dumtaxat
verbo, potuisse lapides in panes transmutare. Unde
non inopportune, dum de Eucharistia sermo esset,
in qua panis paucis verbis in corpus Christi
transsubstantiatur, unus alteri hanc transsubstan-
tiationem neganti dixit. Appello ad illam, quam
diabolus in Christo agnovit potentiam; hic enim
malignus spiritus credidit, Christum tanquam Dei
Filium substantiam lapidis in substantiam panis
unico verbo posse convertere.

12. — Quæri etiam hoc loco non inutiliter
poterit, quoniam argumento dæmon, cæterquin
astutissimus permotus fuerit, ut lapides a Christo
in panes converti, non vero aliud quidpiam longe
prodigiosum fieri peterit, ad hoc, ut Filium Dei se
esse proderet, cum tamen Moyses, Elias et Eliseus
et alii longe majora magisque stupenda miracula
et portenta patraverint, nec tamen per illa essentia,
naturæ et filiationis divinæ se participes esse homi-
nibus persuaserint? Respondeo. Luciferum in hac
tentatione, hunc in modum, uti mihi imaginor,
discussisse: quod si Filius Dei revera fuerit, id
utique hac tentatione manifestum fiet, nam vel
sequetur meum consilium, lapides in panes trans-
mutando, vel non; si consilium meum adimpleat,
signum hoc utique evidenter ipsum Filium Dei non
esse demonstrabit, hujus namque invisibilis pro-
prietatis est, facere Patris sui voluntatem; si vero
non fecerit ex lapidibus panes, defectum omnipo-
tentia manifeste declarabit. Vel etiam hunc discursum
formare poterat; certus sum, quod miraculum
mutationis lapidum in panes, ad solam Dei omni-
potentiam pertineat, et in hujus confirmationem,
ego illud ab eo depono; scio enim quod illud
diabolica virtute operari non possit, cum ego sim
cunctorum infernalium spirituum dominus; quod
si igitur miraculum hoc, juxta quod a me petitum
fuit, patrauerit, signum hoc evidens erit, latentis in
eo divinitatis, veræ et non fictæ.

13. — Jure merito etiam hoc loco, rationes
aliquæ examinandæ sunt, ob quas Christus, diabo-
lo hanc dederit in Evangelio descriptam repulsam.
Hugo Cardinalis tres rationes adducit, nimirum:
« Ut diabolus lateret ejus divinitas, quia si cog-
« novissent nunquam Dominum gloriæ crucifixis-

« sent. » Porro Glossa observat finem, ob quem
diabolus, lapides in panes transmutari suaserit,
non fuisse, ut ex panibus illis Christi fames comescere-
retur, sed proprium interesse diaboli: « Suae-
« turium panis de lapidibus facio, non quod ejus
« curet salutem, sed ut ex mutatione cognoscat
« virtutem. »

14. — Secunda ratio est: « Ut doceret nos,
« opera bona malis, et maxime talibus, qui nihil
« inde proficiunt, abscondere; non sunt projiciendæ
« margarite ante porcos. »

15. — Tertia est: « Ut nihil ad imperium
« diaboli faciamus; » qua responsione punctum
quoddam valde utile et ab aliis quoque sacris expo-
sitoribus mentionatum tangitur: « Et quod pecca-
« tum erat, facere lapides panes. Audi igitur, » ita
Theophylactus monet, « quia audire diabolus in
« aliquo peccatum est. » Ingeniose Didacus Stella
observat, diabolus non petiisse a Christo, ut lapides
in pavones, perdices, vel similia animalia delicata,
sed ut in panem converteret: « Nam dæmon si parva
« re te capere poterit, nunquam pretiosam tibi
« dabit; » si nos per furtum unius scuti, damnare
possit, ad millium scutorum furtum nunquam urge-
bit. Panis, cibus est necessitatis, non intemperantia,
et tamen hæc fuit hujus serpentis astutia, quod ad
rumpendum Christi jejunium, panem ei solum, non
vero aliud cibi genus proposuerit: « Hoc facit, ut
« facilius persuadeat, » inquit Albertus Magnus,
« videntur esse rationabilia et necessaria quæ
« proponit et levia. » Nihilominus consilium et
persuasio, quantumvis aliunde justa et rationabilis,
quia tamen a dæmone, qui pater est mendacii et
erroris, Deique et salutis nostræ implacabilis hostis,
procedit, tanquam suspectum et noxium summe
fugiendum semper est.

16. — Didacus Stella dubium movet, cur scilicet
Deus noster, qui salutem nostram tam enixe et
anxie desiderat, ad nostram tamen latera se jun-
gere permittat, inimicum quemdam, adeo fortem
et potentem, qui indefesse nobis insidiatur, nosque
continuo et importune tentationibus et malis sugges-
tionibus suis impugnat et infestat? Respondet, nos
hæc de re lamentari posse, si canis hic solutus et
non ligatus, latera nostra stiparet; nunc autem,
« vincit nos spontaneos et non invitos; nam si non
« consentimus, fragiles sunt ejus vires, id quod per
« hodiernam historiam Evangelicam perspicue pro-
« bat; qui Christo, non vi lapides intromisit in os,
« sed dixit: *dic ut lapides isti panes fiant;* et quando
« illum tentavit, ut se de sublimitate templi præci-
« pitaret, non vi illum incitavit, ut id faceret. »

17. — Hugo Cardinalis, in *Math.*, ait: « Lapidibus
« in panes vertunt qui austeritatem penitentia
« sustinent hilariter; et qui dura verba patienter
« implent, ut habetur, *Thren.*, III: *Saturabitur*
« *opprobriis.* »

18. — Idem Hugo in *cop.* IV S. Lucae tentatio-
nem quandam, per quam cum religiosis luctari
consequitur: « Dic lapidi isti, ut panis fiat; quasi
« dicat: Diu laborasti, multum jejunasti, jam perfe-
« cisti penitentiam, necesse est aliquando recreari,
« aliter deficires; sic nititur diabolus, sub aliqua
« specie discretionis vel necessitatis, ingerere vitium
« voluptatis. »

19. — Idem Cardinalis ait: « Dic lapidi super-
« florum ædificiorum ut panis fiat; id est, conver-
« tantur in refectorem pauperum, quia multi e
« converso faciunt, panes pauperum vertunt in
« lapides ædificiorum. Unde Habacuc, II, 1: *Lapis*
« *de pariete cecidit.* »

20. — Insuper etiam considerari meretur, quod
nihil sit panis adeo contrarium, quam saxum vel
lapis. Unde Salvator, *Math.*, VII, 5, ait: *Quis est ex*
vobis homo, quem si petierit filius suus panem, num-
quid lapidem porrigit ei? Cur igitur dæmon Salva-
tori nostro ad panes faciendos lapides offert. Error
hic a Chrysologo, *Serm.* XI, hisce verbis detectus
fuit, dicens: « Miser, malus vis esse, sed non
« potes, cupis tentare, sed necis: esurienti tenera
« offerre, non dura debuisti. » Unde tandem sanctus
Pater concludit, omnes ipsius inutilis et diabolicas
machinas, ad solam Salvatoris presentiam, irritas
et cassas futuras esse: « Ad presentiam Christi,
« deperire tibi artes tuas tentator intellige. »

Additiones.

a. — Et accedens tentator, dixit ei: Si Filius Dei
es, etc. Dæmon ille qui Christum Dominum tentavit,
non appellabatur aliqua peculiari appellatione: ut-
quid igitur illum Evangelista *tentatorem* appellat
dicens: *Accedens tentator?* Quia ita proprium et
peculiare est illi, bellum inferre, et homines ad
peccatum sollicitare, ut peculiari quadam ratione
tentator appelletur. Nam cum quis in arte aliqua
excellit, ab illa desumit nomen; unde Marcum Tullium,
per antonomasiam, oratorem appellare solemus;
nam licet alii essent oratores et rhetores minime
contemnendi, ille tamen in hac arte mirum in
modum excellit. Eandem ob causam, Aristoteles
philosophus et Virgilius poeta appellatur. Hic dæ-
mon tentator nominatur, quantum multi sint in-
ter homines qui hoc munere funguntur, quia ille
inter omnes præstantissimus est, et cæteros omnes
facile superat; et ideo propter frequentes quibus
homines impugnat, tentationes, hæc vita militia
vocatur. Est enim humana vita continua quadam
pugna et tentatio.

b. — Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes
fiant. Profecto astutissimus diabolus hunc plane
desipit, dum esurienti lapides offert, quos etsi in
panes converteret, non inde ejus constabat divi-
nitas, plura enim miracula hactenus patrata erant,
quibus nemo prophetarum Deus probatus est. Eum

et dubitare non deuit, esse Filium Dei, quem Patris de celo vox in Jordane Filium suum publicaverat. Unde ergo tanta sagacissimi dæmonis inertia et dementia? Apposite S. Gregorius, *lib. II Mor.*, *xxiii*, ait: « Antiquus hostis, cum hunc passibilem « cerneret et posse mortalitatem perpetui humanitatis « videret, omne quod de ejus divinitate suspicatus « ei fastu superbiis suis in dubium venit. Nihil « quippe nisi superbiam sapiens, dum esse hunc « hominem conspicit, Deum esse dubitavit. Unde « ad tentationem se argumenta convertit, dicens: « Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. » Scilicet superbia fastus ex Angelo diabolum fecerat et nunc arrogantia vanæ gloriæ stolidum tentatorem; quia ipse superbissimis de proprio fastu nil æstimans nisi superbia et preceps, sic desipit ut corporali Dei humilitate perstringeretur ne Deum reputaret, omni judicio orbatus. Unde superbia species dementia nuncupatur.

e. — Quæ est hæc diaboli benignitas, ut diu esurienti calamitatem ciborum oblatione depellat? Unde diabolo tam opportune festinata pietas? Nimum a diabolo peregrinat misericordia, cujus gratior cibis est humana perditio. Quorsum ergo cibos diu jejuno et esurienti ultro offert? Eloquenter S. Gregorius Nazianzenus, *Orat. xxxvii*, ait: « Ex- « pleri non potest diabolus; per omnia grassatur. « Benignitatis quidem specie lenocinatur; hæc est « illi pugna ratio. » Nempe diabolus in suis primordiis, cibo sanctitatis satur, virtutem æternam fastidit et humana vita ventris esurie inexplebili atque acris perenniter esurie hiat. Inde per omnia solerter grassatur et dolosis malitiæ callibus, pietatem fronte ostendit, ut ad impietates certius pertrahat et specioso benignitatis titulo, tentationes vaferime occultat, ut ipse se glorioso benignitatis nomine cohonestet, et sub aspectabili pietatis cibo, hamum tentationis ad conscientie læsuras abscondat. Dum ad vitia dedecus homines astutus demon pertrahit, illustre benignitatis elogium ambit. Sic in terris est augustum benignitatis nomen et late serpens beneficentiæ fama, ut malus dæmon qui benignitatem fastidit et dire exaceratur, beneficentiæ titulo se cohonestare, perversa ambitione negotietur; et ut in Angelum laicis se transfiguret, varias frandes et dolos meditat. Et ideo Christo in tentando, conditionem operis proposuit, per quam in Deo, ex mutatione lapidum in panes virtutem agnosceret; et in homine, oblectamento cibi, patientiam esurientis illuderet, sicque ad graviora paulatim induceret. Sollicite enim dæmon curat ut in peccata levia pertrahat, ut hac ratione, ad graviora committenda pedetentim inducat. S. Bernardus ait: « Tante quippe astutiae est serpens anti- « quus, ut hominem Deum timentem, non mox « invadat suggestione aperti sceleris, sed primum « paulatim restringit rigorem justæ discretionis. »

Qui autem modica spernit, ut dicit Ecclesiasticus, paulatim decidit. S. Cyprianus, *Serm. II de zelo et lib.*, inquit: « Dominus prudens esse nos jussit « et cauta sollicitudine vigilare præcepit ne ad- « versarius vigilans semper et semper insidians, « quando in pectus obrepit, de scintillis conflit « incendia de parvis maxima exageret, et dum « remissis et incautis leniore aura, et flatu mol- « liore blandiatur, procellis ac turbibus exci- « tatis, ruinas fidei et salutis ac vite naufragia « moliat. »

d. — Mira hic hujus tentatoris notatur sive penuria, sive avaritia, quod etiam ad gulam inescandam, nihil aliud præter lapides porrigit. Proh Deum! Dives ille et largus in tentationibus optasset, ipse, ut posset condita vina, dulcissimas dapes, odoriferos pulchrosque fructus proferre quibus vel saturum alliceret. Non tamen sustinuit celestis Adam, eremi cultor, quod sibi ob oculos proponeretur a tentatore cibi. Ecce tota reparandi a Christo hominis ruina, unde habet originem. Nonne a minimis occasionibus? *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum*, etc. Ut vidit perit. Quam gulam sic secundus Adam Christus castigat lacrymis, ærumnis, jejuniis, ut quia visus pomi fuit causa ruinae, ejuscumque cibi, etiam panis visum suspectum habeat. O si nos castigarem concupiscentias antiquas, quam horremus concupiscere etiam minima! Sane David post conceptam Bethsabee, post adulterium acriter in se punitum, concepit aquam de cisterna Bethleem, *II Reg. xxiii*. Ergo adducit aqua illi, quam profundens, *libavit Domino*. Cur hoc? Eleganter et prudenter more suo Eucherius ait: « In sacrificium quippe Domini aqua effusa « conversa est, quia culpam concupiscentiæ maeta- « vit per poenitentiam reprehensionis sue. Qui « ergo quondam concupiscere alienam conjugem « nequaquam timuit, postea etiam, quia aquam « concupisset exparit. » Sic peccata commissa oportet castigare, ut postmodum, quamlibet remotissimam umbram, id est, occasionem suspectam et invisam habeamus eamque effugiamus.

e. — Optime dici possit, quod omnia gaudia, deliciae, voluptates, quas dæmon nobis offert et quibuscum nos inescare nititur, in substantia nihil sunt aliud quam lapides et saxa ad rotendum et mordendum durissima, tametsi prima facie delicioisissimi panes esse videantur. Et quidem, cur ex singulari celestis providentiæ dispositione, factum esse existimatis, quod mundus adeo caducus, fallax et ruinosus sit, nisi ut eumdem tanto magis fugiamus, abhorreamus, et detestamur? S. Augustinus in pluribus locis ab amore mundi nos retrahere nititur. Et quidem in *Sermone cxi de tempore*, inquit: « Amaram potionem mundus suis dilec- « toribus propinat. O infelicitas generis humani! « Amarus est mundus, et diligitur; putas si

« dulcis esset, qualiter amaretur? Vos alloquitur « Veritas, dilectores mundi. Ubi est quod amatis, « ubi est quod pro magno tenebatis, ubi est quod « dimittere nolebatis? »

f. — Non querit diabolus, num Christus Filius sit Dei adoptivus, omnes enim Christiani sunt Filii Dei adoptivi; sed de filiatione naturali interrogabat, dubitabat enim an Christus verus esset Messias, et in hoc dubio conabatur diabolus extorquere miraculum in confirmationem quod esset Filius Dei. Deinde nequiores hic notat dæmonis astutiam D. Chrysostomus, *Hom. xiii*, dicens: « Non dixit, si « esuris, sed, si Filius Dei es; videlicet existimans, « posse se aliquid per laudum blandimenta furari, « ideo non commemoravit esuriam, ne hoc ei « quasi exprobrare et obijcere videretur. » Hæc enim est adulatoris callida sagacitas, ut nunquam ejus cui adulari studet, defectus commemoret, sed potius ut eum ob virtutes, quibus præditum se esse existimat, in divorum apotheosim canonizando inserat, ejusque inclinationem et genio sese pro viribus toto studio accommodet. Et ideo non obstante quod Christum Filium Dei esse non crederet, nihilominus quia totum id, quod in laudem ejus minime resultat, ei si proponeretur, displicentiam parere posse sibi persuadebat, ideo eidem solius filiationis divini mentionem, eaque miracula proposuit et suggestit, quæ ad edendam et manifestandam Altissimi omnipotentiam servire posse sciebat: « Dolosa adulatione palpando, » inquit Chrysostomus, « solius mentionem facit dignitatis. » Ad oppugnandam Christi sanctitatem, non alias tentationum machinas adhibet, nisi laudatorias voces, existimans adulatione Christum se supplantaturum. Dæmon enim per hoc vitium eos quos perfectiores et sanctiores esse novit, quantum potest seducere satagit.

g. — Hanc primam tentationem Christi gule fuisse communis Patrum opinio est. Sed difficultas est, quod quia ut necessariis ad vitam nullum est peccatum, si Christus post tam longum jejunium cum esuriat, fessisset panes et comedisset, nullum videbatur vitium vocitatis; quomodo ergo gula est ista tentatio? Respondet Theophylactus et quidem dupliciter: « Jam rogas, » ait, « et quod pec- « catum erat facere de lapidibus panes? Audi igi- « tur, quia audire diabolum in aliquo peccatum « est. Vide autem et aliud. Non dixit, ut lapis hic « panis fiat, sed, lapides, volens Christum ad super- « flua instigare; esurienti enim unus panis suf- « ficere solet. » Vult enim Deus, ut cibis corpori necessariis, sobrius sit, non superfluis. In Oratione Dominica Patrem nostrum celestem ita nos docuit Christus orare: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. « Non docuit delicata petere, » inquit S. Thomas, non exquisita, sed panem, sine quo vita hominis duci non potest, juxta illud, *Eclii. xxix*,

28: *Initium vitæ hominis, aqua et panis*. « Non « debemus comedere, ut venter impleatur, sed ut « corpus sustentetur, » ait S. Bernardus, *Serm. xxii de modo bene vivendi*.

VERSUS 4.

Qui respondens, dixit: Scriptum est: non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

1. — Salvator noster Satanae perplexitati non satisfecit, quin potius magis quam antea, dubium et accipitem reliquit, non obstante, quod ei respondere potuisset: *Ego sum panis vivus, qui de celo descendi*, ostendendo quod terreno pane sibi opus non esset, quin potius: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; al vero S. Augustinus, *Serm. xli de verb. Dom.*, adverteit, ex lapidibus panem facere noluit, licet ex aqua alia vinum fecisset: « Ut voluntem contemneret tentatoris; aliter « tentator non vincitur, nisi contemnat. Qui « tanta poterat, quare istud non fecit? Lege, imo « recole, quod audisti: *Fecit de aqua vinum*. Quid « addit Evangelista? *Et crederunt in eum discipuli « ejus*. Numquid diabolus fuerat in eum creditu- « rus? »

2. — Lucas Brugenis ait: « Ita respondet, ut « neque potest, neque negat se Dei Filium; vad « mitis et humilis corde; » poterat equidem dæmoni cum imperio et majestate respondere, ejusque superbiam et arrogantiam deprimere, sed noluit, quin potius re ipsa per se exequi voluit, ad quod nos erat invitaturus, dicendo: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*, tametsi sibi cum inimico infernali res transigenda esset.

3. — Lyranus ait: « Quod verificatur non solum « de vita spirituali, sed etiam corporali; » adducit quod Moyses exemplum, qui quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunavit, « Verbo Dei spiri- « tualiter et corporaliter sustentatus. » Hujus opinionis S. Thomas diu ante Lyranum fuit, dum inquit: « Non in solo, id est, non vivit solum homo « per panem, sed etiam verbo, id est, imperio Dei, « potest conservari sine aliquo cibo. » Imo Lucas Brugenis, omni eo, quod Deo placerit, vitam nostram ait et sustentari posse dicit, reddiditque rationem: « Nam et panis quod nascit, non aliunde « habet, quam ex divinae Providentiæ constitutione; « quare alit quosdam Deus solo suo nutu nulla re « corporali in panis locum substituta. »

4. — S. Hilarius dæmoni hunc titulum attribuit, quo ab eo vocatur « fallax diabolus et ad traducen- « dum artifex callidissimus; » et merito, etenim dæmon sciebat, Christum omne id facere posse, quod volebat; ex altera vero parte, ipsum tanquam hominem, post prolixum jejunium famelicum esse agnoscebat; et tamen, « ignarus, quidnam esurire-